



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

XI. De quodam stirpigena Lantperti tyranni, qui vna hora bina cæcitate prohibitus est ingredi Ecclesiam Martyris Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

Et ante, venitur ad S. Emmeramnum, talium dono cœlesti liberatorem magnificum. Vbi geminis deinctus catenis, adeo extitit bestialis & immanis, vt à trium viris dextra læuaq; pari numero diuisis, vix ab interitu sui, nec non aliorum posset cohiberi. Cumq; diu oratum esset pro eo & multis foret horroni & exemplo, ante confessionem beatissimi martyris hospes hispidus & horridus nomen confessus legionis, eiectus est ab hospite antea sibi charo, sed tunc martyris precibus admodum amaro. Tum videres, mirum in modum, si adesses, hominem paulo ante per alienas vires ossibus & neruis distentum, subito mediocri gestu corporis contentum, vno eodemq; momento destitutum propriis viribus & restitutum. Is ergò Sanctorum, quos pro miseria releuanda petiuerat, charitate, beato Emmerammo donatus, per eundem dulcissimum patronum gratificatur DEO, simulq; omnis plebs HIATOSPOLITANA coniubilat cum eo. Pro hoc domine dominorum, & aliis potentia tuæ miraculis, generatio præsens & futura laudabit opera tua. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuę loquentur, & mirabilia tua narrabunt & virtutem terribiliū tuorū dicent. Cum quibus & nos humiliter ac supplicatiue dicim⁹: Emmerāmo testi tuo fideli concede salutem omnium nostrū.

XI

Merita B. Emmerammi martyris quantum valeant in presentia omnipotētis, testatur iā plusquam per trecentos annos LAMBERTI misera generatio tyranni. Cuius è stirpe vnus die quadā cum aliis patroni nostri petens Ecclesiā cum intrare tentarent in ipsi⁹ atrij, quod huic adhæret medieta- te, subita prohibi⁹ est cæcitate. ibi dum deuiando manibus palparet, ac pedibus offenderet, à transeuntibus quis esset, quid pateretur, interrogatus, & gen⁹ infelix, cum casu profellus, eorum consilio & ducatu atrium est egressus. Qui

MOX

Plusquā 300.
añi post S. Em-
mer. Lamperti
tyranni gene-
ratio.

mox visum recipiens, nec non pro eo quod sibi acciderat, haud satis diligenter se discutiens, utpote alicuius oneris expeditus, intrantium turbis est coniunctus: tunc miris miraculentibus, in ipso portarum introitu denuo caecitate percussus. Unde & a populo honore dante Deo absque dilatione foras eiecitur, quia per evidentissimum signum a cunctis inimicus testis esse conicitur. Huius rei testimonium cum publico rubore homo portans secum, & valde miratus se bis caecatum atque illuminatum, repedavit ad propria. Huiusmodi sermone inter contrivales & consanguineos exeunte: Novenerint omnes, nulli ex posteritate LAMPERTI accessum apud S. Emmeramum iri concessum, nisi cum magna humilitate & multum valente impetratum fuerit prece. Tu vero magnifica lux mundi, per intercessionem martyris tui illumina tenebras cordis nostri, ne extorres simus caelestis regni, sed intromittamur nuptiis agni.

XII.

Nobiles quidam viri, cognatione nobis & tempore nostri, quorum nomina silemus, quia verecundatur quisque proximis, ob timorem pariter & angorem calamitosae pestis, quae diu multumque sevit in hominibus tyrannice posteritatis, per diversas rerum suarum oblationes atque sacerdotum orationes miserunt ad B. Emmeramum, quo liceret eis absque publica confusione, domiciliu requietionis eius intrare. Quod cum videretur impetratum, ut venirent sub spe ad illos est placatum. Qui venientes cum humilitate ac tremore sunt intromissi & non infructuose admissi. Nam capita cum manibus, religiose altari imponentes, professi sunt se martyri perpetuos censuales. Aliqui tradiderunt servos & ancillas, ut in conspectu tanti patroni inuenerunt gratias. Alii vero contulerunt possessiones praediorum, ne ultra starent in parte reorum. Alius hic reliquit triennem languorem, alius deposuit binam debilitatem, alius iugem superavit maligni spiritus infestationem.

His